

## CAPVT VII.

## De animae humanae immaterialitate

Postquam animae humanae naturam breuiter pro instituto nostro definimus, operae pretium est speciatim eius immaterialitatem uberius demonstrare.

ART. I. Quid sibi velit immaterialitas animae explicatur, et quanam eam oppugnent, recensentur

113. Cum animam humanam immaterialem esse asseritur, ipsam esse *simplicem*, et *spiritualem* significatur. *Simplicitas* animae humanae illud sibi vult, quod ipsa non sit quaedam substantia materialis, seu extensa, et divisibilis, nempe corpus. *Spiritualitas* autem hoc sibi expostulat, ut anima humana non sit forma materialis<sup>1</sup>, sed forma subsistens, quae a materia in suo esse non pendet.

114. Ii, quos animam humanam corpoream esse non pudit asserere, *Materialistae* audiunt. Ipsi autem diversa ratione suam sententiam proferunt. Nonnulli enim, uti veteres Philosophi Ioniae<sup>2</sup>, Democritici, et Epicuræi<sup>3</sup>, necnon Stoici<sup>4</sup>, animam docuerunt esse aliquid corporeum a corpore hominis distinctum. Alii animam ita esse corpoream putarunt, ut eam nihil a cor-

<sup>1</sup> Discrimen inter corpus, atque formam materialem explicatum a nobis fuit in *Cosmol.*, c. V, art. 3, p. 131.

<sup>2</sup> De his ita loquitur s. Thomas: «Priores Naturales, quia considerabant res cognitae esse corporeas, et materiales, posuerunt, oportere res cognitae etiam in anima cognoscente materialiter esse. Et ideo, ut animae attribuerent omnium cognitionem, posuerunt eam habere naturam communem cum omnibus. Et quia natura principiorum ex principiis constituitur, attribuerunt animae naturam principii. Ita quod qui dixit, principium omnium esse ignem, posuit animam esse de natura ignis: et similiter de aere et aqua. Empedocles autem, qui posuit quatuor elementa materialia, et duo moventia, ex his etiam dixit animam esse constitutam»; l. q. LXXXIV, a. 2 c.

<sup>3</sup> Hi ex minutissimis aqueis, igneis, et aereis, atque rotundissimis particulis animam hominis concretam esse confinxerunt, quibus quartum addiderunt *innominatum*, quod sensum produceret, quoque nil tenuius foret, atque immobilis.

<sup>4</sup> Stoici, cum totum mundum a quodam principio actuoso, nempe igne, animari autem animam eiusdem principii actuosi esse particulam colligebant.

pore nostro esse distinctam senserint. Hoc alterum materialismi genus, quod *physiologicum* appellari solet, professi sunt ex veteribus Dicaearchus, Aristoxenus, et Galenus; atque ex recentibus omnes ii, qui animam aut cerebrum, aut cerebri quamdam affectionem esse venditarunt. Inter eos saeculo iam elapso Helvetius, Auctor *systematis naturae*, Diderotus, Lammetrie, multique alii Galliae, Hollandiae, et Angliae scriptores recensentur. His saeculo XVII viam stravere Spinoza, Tolandus, et Hobbes. Ineunte hoc saeculo, praeter Cabanisium, et Tracyum, qui saltem incertum esse, quid sit anima, effutiere, hoc commentum praesertim tuiti sunt in Gallia Scriptores ephemeridum sub titulo, *Journal des applications de la physiologie animale à la physiologie sociale, par l'observation exacte*<sup>1</sup>. Denique hodie Buchnerus<sup>2</sup>, aliique post Moleschottium<sup>3</sup>, et Wagnerium<sup>4</sup> in Germania, et in Gallia A. Comtius, quem Littraeus secutus est, nihil praeter corpus in homine esse docent<sup>5</sup>, eo quod materiam essentialiter activam, et iis internis viribus praeditam esse putant, ut corpora mineralia, vegetabilia, humana denique ab ea naturaliter progignantur, quin corpora vegetabilia, et humana indigeant anima ad functiones vitales exerendas. Quam ob rationem eorum materialismus *dynamicus* appellatur.

115. Animam autem spiritualem esse inficiati sunt omnes Sensistae; siquidem cum, secundum eos, omnes animae actiones non aliud sint, quam diversae formae sensibilitatis, ipsius natura huiusmodi est, ut ab organis corporis pendeat.

116. Denique simplicitati, vel spiritualitati animae, si non omnes verbo, certe re adversantur qui systema phrenologicum propugnant. Hi enim, ut mox dicemus, cerebrum in plura organa

<sup>1</sup> Ephemerides huiusmodi in lucem edi coeperunt Lutetiae Parisiorum anno 1837. Flourensium intelligentiam inter vires systematis nervi recenset. «Proprietates, ait, seu vires systematis nervi sunt quinque, eaeque sunt *sensibilitas, motricitas, principium vitae, reductio motuum de loco in locum, atque intelligentia*». Hinc saepe dixit solum cerebrum percipere, cerebrum cogitare, et medullam oblongatam sentire, aliaque huiusmodi permulta, quae purus, putusque materialismus sunt; *De la vie et de l'intelligence*, passim. — <sup>2</sup> *Force, et matière*, p. 108 sqq, Leipzig 1863.

<sup>3</sup> *Cursus vitae circularis* (germ.), 4<sup>e</sup> ed. 1862, vel *La circulation de la vie*, 2 voll., Paris 1865.

<sup>4</sup> *De hominis creatione, et de substantia animae* (germ.), Gotting. 1864.

<sup>5</sup> Cf. Janet, *Le matérialisme contemporain*, c. 1, p. 14 sqq, Paris 1864.

dividunt, quibus singulas facultates intellectuales, et morales assignant, atque vel animam a cerebro distinguunt, vel nihil praeter organa in cerebro admittunt.

117. Itaque in immaterialitate animae humanae vindicanda nos primum abnormitatem materialismi generatim patefaciemus; deinde quaedam contra materialismum physiologicum, et dynamicum speciatim adnotabimus; tum animam spiritualem esse ostendemus; denique de phrenologismo pauca adiciemus.

ART. II. *Animam humanam simplicem esse demonstratur*

118. Si anima humana forma substantialis corporis admittatur, ipsa neque aliquod corpus, neque ulla ratione divisibilis dici potest; nam neque corpus potest esse forma, neque forma potest esse aliquod corporeum<sup>1</sup>; et, cum anima humana sit huiusmodi forma, ut animal perfectum constituat, non solum *per se*, sed etiam *per accidens* divisionem respuit<sup>2</sup>. At vero materialismum argumentis aliunde petitis refellere nobis lubet sequenti Propositione:

119. *Anima humana nequit esse corporea.*

*Probat.* Praecipuum argumenti genus ex natura illarum operationum animae, quae *cogitationes* dicuntur, deponitur, atque ita se habet: Cogitationes, quae ad animam spectant, nempe notiones rerum sensilium, vel simplicium, iudicia, ratiocinationes, conscientia, a substantia corporea proficisci nequeunt. Atqui *operari sequitur esse*. Ergo anima humana nequit esse corporea.

120. Hoc argumentum evolvitur hunc in modum: Primo: Anima notiones rerum sensilium, sive compositarum ita sibi comparat, ut per unam formam, sive speciem totius omnes partes rei compositae, prout sunt in toto, unico actu percipiat<sup>3</sup>. Iam substantia corporea, ac proinde extensa, et divisibilis, huiusmodi notionum numquam capax est. Etenim vel singulae eius partes singulas rei obiectae portiones per diversas harum species perciperent, vel singulae partes per speciem totius rei eam totam simul complecterentur. Atqui neutrum sumi potest. Non primum, quia tunc diversae partes alicuius totius successive perciperentur<sup>4</sup>, numquam vero simul integra res sub forma to-

<sup>1</sup> Cf *Cosmol.*, c. V, art. 3, p. 131-132. — <sup>2</sup> Cf *ibid.*, art. 4, p. 134.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., I, q. LXXXV, a. 4 ad 3. — <sup>4</sup> *Ibid.*, q. XII, a. 10 c.

tius<sup>1</sup>. Non alterum, quia tunc quot partibus anima constaret, toties res quaelibet integra ab ea percipienda esset. Ergo virtus res sensiles percipiendi ad substantiam materialem pertinere non potest<sup>2</sup>.

121. Quo magis pateat animam ex eo, quod res corporeas cognoscit, corpoream esse non posse, praestat ita etiam argumentari. Quoniam anima res ex eo cognoscit, quod earum speciebus informatur, consequitur eam, praeter formam, quam habet sui propriam, aliarum rerum formas in se recipere posse; et quoniam forma dat esse rei, anima in se recipiens rerum, quas cognoscit, formas, esse aliarum rerum, quae extra ipsam sunt, quodammodo in se recipit. Atqui id contingere haud posset, si anima materialiter species rerum in se reciperet; siquidem res per materiam ad unum coarctantur. Ergo species rerum cognitarum in anima immaterialiter sint oportet<sup>3</sup>. Atqui si anima corporea adstrueretur, rerum species immateriales in se, ut cuique compertum est, recipere non posset, ac proinde res non cognosceret. Ex eo igitur, quod anima res corporeas cognoscit, ipsam corpoream esse non posse concludendum est<sup>4</sup>.

122. Secundo: Earum etiam rerum, quae nihil duplex, vel coneretur habent, notionibus anima potitur, e. g., Dei, virtutum, vitiorum, affirmationis, negationis, aequalitatis, inaequalitatis, aliisque id genus. Iam etiamsi demus substantiam corpoream notionum, quae ad res compositas referuntur, capacem esse, tamen ipsa res simplices, et abstractas haud percipere pos-

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 11 c. Petrus Bayle (*Dict. hist. crit.*, art. *Léucippe*) exemplum affert globi quatuor mundi partes exhibentis, qui si suis figuris intelligendis aptus evaderet, nihil in se haberet, quod aut totam Europam, aut totam Asiam, aut integram Amsteladamum, aut cunctam Vistulam cognosceret.

<sup>2</sup> Argumentum hoc ab unitate perceptionis, et divisibilitate materiae desumptum ad unguem expresserunt Eusebius (*Praep. Ev.*, lib. XV, c. 22), et s. Augustinus (*De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 21, n. 27, et *De Anim. et eius origine*, lib. IV, c. 21, n. 35).

<sup>3</sup> Cf s. Thom., I, q. XIV, a. 1 c., et q. LXXXIV, a. 2 c.

<sup>4</sup> In *Dynam.* (c. III, art. 3, p. 117, vol. I) pro certo sumpsimus animam esse simplicem, indeque species, quibus res cognoscuntur, esse immateriales deduximus, hic autem *a priori*, seu ab ipsa natura cognitionis species oportere esse immateriales adstruimus, ut animae simplicitas inde pateat.

set<sup>1</sup>. Sane, cum corpus sit aliquid compositum, non posset id, quod est indivisum in se, percipere, nisi hoc in partes distrahatur. Atqui id contradictionem involvit. « Quomodo, aiebat Eusebius, quod magnitudo quaedam est, id, quod magnitudine careat; et quod dividuum est, rem percipiat individuum? »<sup>2</sup> Ergo.

123. Huius argumenti vis ex eo 1° augetur, quod proportio existat oportet inter actiones, et principium, a quo hae eliciuntur; quapropter si anima esset quaedam substantia corporea, atque ei virtus cognitrix convenire poneretur, ipsa non nisi corpora, numquam vero res incorporeas percipere valeret<sup>3</sup>; 2° ex eo, quod si animae corporeae virtus cognitrix conveniret, haec non nisi per organa corporis exerceretur; at vero id, quod unum et simplex est, per organa corporea percipi nequit<sup>4</sup>.

124. Tertio: Quod de notionibus, potiori iure de iudiciis, et ratiocinationibus dicendum est. Sane, ad iudicium quod spectat, eius natura ex postulat, ut duae notionis, nempe subiecti et attributi, inter sese comparentur. Quae quidem comparatio locum habere nequit, nisi utraque notio in eodem subiecto simul consistat; siquidem comparatio inter duo fieri non potest, nisi ab eo, qui simul haec duo percipit. Atqui, si ponatur substantiam, quae iudicium conficit, esse corpoream, ac proinde in plures partes extensam, notionis subiecti, et praedicati in uno, eodemque subiecto numquam consistere possent, sed una pars illius substantiae corporeae notionem subiecti, altera notionem attributi haberet. Ergo.

125. Idem dicatur de ratiocinatione, tum quia plures actus, qui ratiocinationis elementa sunt, nempe cognitio praemissarum, et conclusionis, ab uno, eodemque subiecto eliciantur oportet, secus conclusionem in praemissis contineri haud percipi posset<sup>5</sup>; tum quia unicus, ut alibi diximus, est actus, quo intellectus conclusionem ex praemissis, a quibus deducitur, fluere cognoscit<sup>6</sup>.

126. Quarto: Anima, quemadmodum saepe observavimus, sui,

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De quant. anim.*, c. 13, n. 22.

<sup>2</sup> *Op. cit.*, lib. XV, c. 22.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 49.

<sup>4</sup> Cf s. Aug., *De lib. arb.*, lib. II, c. 8, n. 22.

<sup>5</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. VIII, a. 3 c. — <sup>6</sup> *Ibid.*, q. XII, a. 4 c.

et suarum cognitionum sibi conscia est. Iam hanc conscientiam ex eo habet, quod ipsa se, tamquam cognoscentem, cum se ipsa, tamquam cognita, ita coniungitur, ut ipsa sub utroque respectu unum fiat, simulque sit suae actionis principium, et finis; ad quam rem necessario expostulatur, ut ipsa ad se redeat, et tota super se totam convertatur<sup>1</sup>. Atqui huiusmodi actioni nullo modo idonea esse potest substantia materialis; quia, cum partes extra partes habeat, neque illius pars super seipsam contrahi, nec tota cum se tota potest coniungi. Ergo<sup>2</sup>.

127. Neque illud praetermissum volumus, quod, cum quaedam corporis pars super aliam flectitur, priorem sui formam exuit, novamque induit; quamobrem, si hac ratione conscientia, quam anima suarum cognitionum habet, explicatur, illud etiam abnorme consequitur, cognitiones, super quas actus reflexionis exeritur, nedum vividiores fieri, evanescere.

128. Quinto denique, revocandum in memoria nobis est, 1° diversas operationes animae ita exerceri, ut quamdam dependentiam inter se habeant, c. g., intellectus, nisi cognitio sensitiva praecedat, nihil intelligere potest, atque appetitus non nisi in id, quod prius cognitum est, potest ferri; 2° vehementiorem alicuius facultatis actionem efficere, ut ceterarum actiones sint debiliores; 3° unumquemque nostrum in seipso experiri eandem penitus in nobis esse rem, quae omnes operationes elicit. Atqui nullum horum explicari posset, si substantia cogitans extensa, et divisibilis in partes poneretur. Etenim 1° illa dependentia operationum haberi nequit, nisi in his, « quae secundum ordinem naturalem procedunt ab uno<sup>3</sup> »; 2° causa, cur operatio unius potentiae operationi alterius impedimento sit, in eo dumtaxat consistit, quod illae omnes in uno, et eodem principio radicem habent; 3° unum, idemque esse in nobis centrum, ad quod omnes operationes referuntur, experiri haud possemus, si integralis una animae pars perciperet, altera iudicaret, ratiocinaretur altera, unaque vellet, et nollet altera. Ergo animae actiones sive singulae in se spectentur, sive omnes in sui concentu, a substantia corporea exeri haud posse invicte demonstratur.

<sup>1</sup> In lib. *De Causis*, lect. XV.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 49, n. 7. — <sup>3</sup> I, q. LXXVII, a. 7 c.

129. Accedit quod quaevis causae materialis actio, uti certum penes omnes est, per motum absolvitur; quapropter si cogitationes a substantia corporea proficiscerentur, deberent secundum leges motus absolvi. Atqui cogitationes a motionibus toto coelo distant. Ergo.

130. Ad *minoris* veritatem demonstrandam satis sit haec animo recollere: 1° Corpora « non movent seipsa, quamvis in seipsis habeant principium sui motus <sup>1</sup> »; quare, secluso principio extrinseco determinante, neque moveri queunt, dum sunt in quiete, neque, dum moventur, a motu cessare, in eodemque loco consistere. « At animus, ut Lactantius inquit, sua sponte et cogitat, et movetur <sup>2</sup> ». 2° Cogitationes, ut saepe diximus, sunt actiones immanentes; motio autem corporalis ad genus actionum transeuntium pertinet <sup>3</sup>. 3° Vis motiva corporeae substantiae continuo languescit, ac demum prorsus extinguitur; e contrario, cognitrix potentia tantum abest, ut exercitio minuat, quin potius crescat quodammodo, validiorque fiat <sup>4</sup>. 4° Celeritas mentis in cogitando tanta est, quanta in corporeis motionibus haberi nullatenus potest <sup>5</sup>. 5° Perabsurdum est vel ipsam perceptionem rei sensilis quamdam esse motionem corporealem. Etenim « omnis actio corporalis requirit contactum <sup>6</sup> », tactus autem quantitatis, qui corporum proprius est, « fit secundum extrema <sup>7</sup> ». Quapropter si perceptio sensilis ex eo fieret, quod haec tangit organum, non tota res sensilis, sed eius extrema superficies tantummodo a nobis percipi dicendum foret.

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 1 c. Ex eodem principio, quod nempe nullum corpus movet seipsum, « Nullum corpus movet, nisi motum » (*In lib. II Sent.*, Dist. II, q. II, a. 3 *sol.*), illud etiam consequitur, quod si cogitans sit aliquid movens corporeum, ab alio moveatur oportet; et si hoc aliud sit etiam corpus, alio motore indiget, et ita deinceps; ita ut nisi deveniatur ad aliquid movens, quod non sit corpus, infinita moventium series ad aliquam obtinendam cogitationem expostularetur; et quoniam infinita moventium series pertransiri nequit, numquam cogitatio aliqua posset existere. — <sup>2</sup> *De officio Dei*, c. 16.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., I, q. LVI, a. 1 ad 3.

<sup>4</sup> « Potentiae animae, inquit Auctor libri *De spiritu, et anima*, longa exercitatione, et successu temporis crescunt »; cap. 30.

<sup>5</sup> Cf Lactant., *ibid.*

<sup>6</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. 1, a. 4, *sol.* 1.

<sup>7</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 49.

131. Illud etiam observatu dignum est, quod si proferatur vox aliqua coram plurimis diversarum regionum hominibus, eadem est apud omnes soni articulati impressio, sed eam tantum intelligunt, qui linguam, ad quam ea vox pertinet, callent. Iam id evidenter ostendit perceptionem per corporeum motum effici non posse; cum enim idem sit motus, nempe cum idem sonus omnium aures feriat, eadem in omnibus excitanda perceptio foret <sup>1</sup>.

132. Quid vero si consideremus perceptiones universalium, et intelligibilium, vel actum illum, qui *conscientia* dicitur? Sane motiones corporeae loco, et tempore circumscribuntur <sup>2</sup>, cum e contrario « universalia abstrahantur ab hic, et nunc <sup>3</sup> ». Conscientia autem, sive perceptio perceptionis si in motu consisteret, non una, sed duplex motio, quarum una ad aliam refertur, esse deberet; actus enim, quo intellectus se, actumque suum intelligit, ab illo distinguitur, quo obiectum intelligit. At vero repugnat motionem ad motionem referri: « Actus corporis ad actionem non terminatur, nec motus ad motum, ut in *Physicis* probatum est. Actio autem substantiae intelligentis ad actionem terminatur; intellectus enim sicut intelligit rem, ita intelligit se intelligere <sup>4</sup> ».

ART. III. *Materialismus physiologicus et dynamicus speciatim refellitur*

133. Omnia argumenta, quibus materialismum generatim erroris redarguimus, ostendunt simul contra materialistas physiologos animam esse aliquid distinctum a nostro corpore. Nihilominus abnormitas materialismi physiologici speciatim evincere iuvabit sequenti propositione:

Prop. *Anima neque est ipsum nostrum corpus, neque in eius temperatione, vel in eius partium compositione consistit.*

*Probatur.* Anima non est ipsum nostrum corpus. Et sane,

<sup>1</sup> Ad hoc procul dubio respexit s. Augustinus, cum inquit: « Audiui sonos verborum, quibus (*res*) significantur cum de his disseritur; sed illi alii, istae autem aliae sunt. Nam illi aliter graece, aliter latine sonant; istae vero nec graecae, nec latinae sunt, nec aliud eloquiorum genus »; *Confess.*, lib. X, c. 12, n. 19.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. III, a. 3 *sol.*

<sup>3</sup> I, q. XVI, a. 7 ad 2. — <sup>4</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 49, n. 8.

anima est principium, per quod corpus vivit <sup>1</sup>. Atqui principium, per quod corpus vivit, non est ipsum corpus, alioquin omne corpus viseret <sup>2</sup>. Ergo <sup>3</sup>. Hoc argumentum ita s. Augustinus enunciat: « lam tu melior es, tibi dico, anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, praebens ei vitam, quod nullum corpus praestat corpori <sup>4</sup> ». Praeterea: Quemadmodum ipsi physiologi docent, corpus per leges assimilationis, et excretionis quoad particulas, ex quibus constat, sensim sine sensu commutatur, adeo ut temporis fluxu prorsus renovetur. Si igitur anima sive principium vivendi non nisi ipsum corpus esset, principium vivendi in dies variare, ac tandem in aliud renovari deberet. Atqui unusquisque nostrum experitur principium cogitandi constanter manere idem; ita ut nos, qui nunc vivimus, eosdem esse, qui antea viximus, consciamus. Ergo.

134. Quod si anima a corpore distinguitur, ipsam neque in temperamento, neque in harmonia corporis consistere consequitur. Non quidem in temperamento. Nam anima corpus sibi subdit, atque haud raro reluctatur iis appetitionibus, quae ex corporis temperatione oriuntur; siquidem multi homines appetitiones illas sedant, et efficiunt ut rectae rationi pareant. Anima igitur non est ipsa temperatio corporis; secus idem effectus simul ab eadem causa oriretur, atque destrueretur <sup>5</sup>.

135. Neque est harmonia, seu ipsa compositio partium corporis, vel ratio, qua partes corporis secum invicem connectuntur. Etenim in diversis partibus corporis sunt diversae compositionis rationes; ac proinde si in hac corporis partium compositione anima consideret, singulae partes corporis haberent singulas animas, nempe aliam animam haberet os, aliam caro, aliam nervus, utpote quae secundum diversam proportionem sunt composita. Atqui hoc manifeste falsum est. Ergo <sup>6</sup>.

136. Adversus materialismum dynamicum observasse iuverit, quod, etsi portentum illud assumatur, materiae essentiam in vi activa quadam positam esse; haec tamen actiones illas, quae vi-

<sup>1</sup> « Vita, inquit s. Augustinus, carnis tuae, anima tua »; *In Ioann. Ev.* c. X, tract. XLVII, n. 8.

<sup>2</sup> Cf *Cosmol.*, c. V, art. 3, p. 132.

<sup>3</sup> I, q. LXXV, a. 1 c. — <sup>4</sup> *Conf.*, lib. X, c. 6, n. 10.

<sup>5</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 63. — <sup>6</sup> *Ibid.*, c. 64.

tales dicuntur, numquam efficere potest: 1° quia « effectus aliquis non subest potentiae alicuius agentis... per hoc, quod non habet cum agente affinitatem, vel similitudinem <sup>1</sup> »; atqui actiones vitales nullam cum materia similitudinem habent, viventia enim, quemadmodum alibi a nobis ostensum est <sup>2</sup>, a non viventibus multum distant; 2° quia si actiones vitales, uti etiam demonstravimus, per principium vitale organum corporis insitum explicari nequeunt <sup>3</sup>, ipsas materiae vi longius praestare dicendum est; 3° quia subiectum, in quo perficiuntur actiones vitales, est ipsum vivens, siquidem ad genus actionum immanentium illae spectant; dum e contrario materia non in seipsam, sed in aliud extra se dumtaxat vim suam exercere potest.

137. Ad cuius rei maiorem explanationem mente recolamus oportet materiam ad aliquam speciem actionum determinari: « Res corporales habent determinatas actiones <sup>4</sup> »; siquidem « corpora non operantur, nisi naturaliter <sup>5</sup> »; natura autem est determinata ad unum. Quocirca, si activa materiae vis ita evolvi sumatur, ut sicut naturae mortuae, ita naturae viventis actiones exerat, illud admittendum foret absurdum, utrasque illas actiones eiusdem esse speciei. Itaque, etiamsi concedatur materiam nihil aliud esse, quam vim per seipsam, seu sponte sua activam, illa tamen ex essentia sua et differt ab anima, et animae actus efficere nequit.

ART. IV. *Materialistarum obiectionibus satisfi*

138. Obiic. 1° Substantia corporea afficitur qualitatibus, quae non sunt divisibiles, e. g., gravitate, vi motrice, et aliis eiusmodi. Ergo ex eo, quod cogitatio est aliquid indivisibile, inferri nequit ipsam ad substantiam corpoream pertinere non posse.

139. Resp., *Dist. ant.*, et illae qualitates sunt indivisibiles, si in seipsis considerentur, *conc. ant.*, sin relatae ad corpus, cui insunt, *neg. ant.* *Neg. cons.* Sane, sicut formae corporum dicuntur inextensae, seu simplices, si considerentur abstractae a materia <sup>6</sup>, ita illae qualitates, nempe gravitas, vis motrix, aliae-

<sup>1</sup> *Ibid.*, c. 22, n. 3.

<sup>2</sup> *Cosmol.*, Introd. p. 86. Cf etiam c. IV, art. 1, p. 121-122.

<sup>3</sup> Cf quae diximus p. 204-206. — <sup>4</sup> I, q. CX, a. 1 ad 1.

<sup>5</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 102. — <sup>6</sup> Cf *Cosmol.*, c. V, art. 4, p. 134.

que huiusmodi, si abstractae a corpore, cui insunt, in se spectentur, nihil, nisi simplex, atque uniusmodi exhibent. At prout corporeae substantiae insunt, non sunt indivisibiles; gravitas enim iuxta divisionem massae corporis dividitur; item, vis motrix in omnes partes corporis dispergitur, ita ut si vis motrix in corpore est, ut *duo*, in dimidio sit, ut *unum*. E contrario quaevis cogitatio tum in se, tum in subiecto cogitante prorsus indivisibilis est.

140. Obiic. 2° Nullatenus fieri potest, ut extensi obiecti imaginem anima indivisibilis in se contineat. Ergo si anima res extensas percipit, ipsa indivisibilis esse nequit.

141. Resp., *neg. ant. et cons.* Nam anima « non est indivisibilis, ut punctum habens situm in continuo, sed per abstractionem a toto genere continui<sup>1</sup> ». Sane indivisibile habens positionem, cuiusmodi est punctum<sup>2</sup>, imaginem extensi obiecti totam, quanta re ipsa est, in se continere non potest. At virtus integram extensionem obiecti percipiendi non indivisibili, instar puncti, sed substantiae omnino indivisibili, quae nempe nullum ad partes ordinem habet, et ad genus continui nullo modo pertinet, propria est. Quod si ad obiectum extensum percipiendum extensio in subiecto percipiente requiritur, istud tantam, et tam variam re ipsa habere debet dimensionem, quanta est dimensio diversorum, quae ab ipso percipiuntur, obiectorum; id quod est aperte falsum<sup>3</sup>. Accedit, quod integra rei extensio sub una simplicissima, penitusque indivisibili ratione formali percipitur; ergo huiusmodi perceptio non nisi ad principium omnino indivisibile pertinere potest.

142. Obiic. 3° Vulgatum est illud effatum: *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur*. Atqui anima recipitur in corpore. Ergo est corporea.

143. Resp. *Dist. mai.*, ita ut nequeat unum ab altero recipi, nisi sit inter utrumque quaedam proportio habitudinis, *conc.*

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 4 ad 16.

<sup>2</sup> De hoc indivisibilitatis cf *In lib. I Met.*, lect. II.

<sup>3</sup> « Tam multas, ad rem inquit s. Augustinus, et tam magnas corporum imagines, si anima corpus esset, capere cogitando, vel memoria continendo non posset . . . Qua igitur magnitudine, quae nulla illi est, imagines tam magnorum corporum, et spatiorum, atque regionum capit? » *De anim. et eius orig.*, lib. IV, c. 17, n. 25.

*mai.*, nisi sit inter ea naturae convenientia, *neg. mai. Dist.* etiam *min.*, anima recipitur in corpore, ut perfectum in perfectibili, *conc. min.*, ita ut in corpore contineatur, *neg. min. Neg. cons.* Sane anima non recipitur in corpore, ita ut contineatur, nam, ut s. Augustinus inquit, « anima continet corpus<sup>1</sup> ». Quapropter corpus recipit animam eo modo, quo materia recipit formam, scilicet ita ut per ipsam perficiatur: seu ut « secundum ipsam constituatur in esse alicuius speciei<sup>2</sup> ». Ut autem corpus hoc modo in se recipiat animam, non requiritur ut huius natura cum natura illius conveniat, ita ut anima extensa, aequae ac corpus, sit<sup>3</sup>, sed solum quaedam inter illud, et istam proportio, quae in eo consistit, ut corpus habeat ordinem ad animam, et capacitatem, ut ab ea informetur<sup>4</sup>. Iam simplicitatem animae haud impedire, quominus haec talem cum corpore proportionem habeat, antea a nobis ostensum est<sup>5</sup>. Ex eo igitur, quod anima recipitur in corpore, nihil contra eius immaterialitatem inferri potest.

144. Obiic. 4° Anima non potest movere corpus, nisi illud tangat. Atqui tactus non est, nisi corporum. Ergo.

145. Resp. *Dist. mai.*, nisi illud tangat *contactu virtutis, conc. mai., contactu corporeo, neg. mai.* Sub eadem *dist. neg. et conc. min. Neg. cons.* In primis, cum *moveri* sit « actus existentis in potentia<sup>6</sup> », producere motum magis ad substantias immateriales, quam ad materiales, pertinet. Etenim nihil potest transire de potentia in actum, nisi per id, quod est actu. Atqui substantiae intellectuales magis actu sunt, quam corpora. Ergo ad illas magis, quam ad substantias corporeas pertinet aliquid movere. « Agunt substantiae intellectuales in corpora, et movent ea, cum sint immateriales, et magis in actu existentes<sup>7</sup> ». Ut vero quomodo substantia immaterialis corpus tangat, et moveat, intelligatur, distinguendus est contactus *quantitatis*, qui proprius corporum est, a contactu *virtutis*<sup>8</sup>. Primo contactu tan-

<sup>1</sup> *Contr. Epist. Man.*, c. 16, n. 20. Cf p. 218.

<sup>2</sup> I, q. L, a. 2 c. — <sup>3</sup> Cf p. 186-188.

<sup>4</sup> « Debita proportio materiae ad formam est dupliciter, scilicet per ordinem naturalem materiae ad formam, et per remotionem impedimenti »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 2 sol. 1 c.

<sup>5</sup> Loc. cit. — <sup>6</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 3 sol.

<sup>7</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 56. — <sup>8</sup> Cf *Dynam.*, c. VI, art. 1, p. 182, vol. I.

gentia dicuntur ea « quae uniuntur secundum ultima quantitas »; unde in corporibus oportet « mutuum esse tactum <sup>1</sup> ». Contactus virtutis pertinet ad ea, quae, etsi « in quantitate ultimis non tangant », dicitur nihilominus tangere, in quantum agunt <sup>2</sup> ». Hoc autem tactu substantia immaterialis, quae est indivisibilis, potest movere corpus, quod est quaedam quantitas divisibilis. Nam tactu corporeo id, quod est indivisibile, puta punctum, non potest tangere, nisi aliquid indivisibile; at tactu *virtutis* substantia immaterialis potest tangere quantitatem divisibilem. « Substantia intellectualis, quamvis sit indivisibilis, potest tangere quantitatem divisibilem, in quantum agit in ipsam. Alio enim modo est indivisibile punctum, et substantia intellectualis. Punctum quidem est sicut quantitate terminus, et ideo habet situm determinatum in continuo, ultra quem porrigi non potest; substantia autem intellectualis est indivisibilis, quasi extra genus quantitate existens; unde non determinatur ei indivisibile aliquid quantitate ad agendum <sup>3</sup> ». Iam animam non nisi tactu virtutis movere corpus alibi a nobis ostensum est <sup>4</sup>. Ex eo igitur, quod anima movet corpus, nihil eius simplicitati repugnans consequitur.

146. Inst. Si anima instar substantiarum immaterialium corpus moveret, huiusmodi motus ex nulla resistantia corporea vinci posset. Atqui motus, quem anima producit in corpore, vincitur a resistantia materiae. E. g., si brachio ingens pondus appendatur, ipsum attollere nequimus. Ergo.

147. Resp. *Dist. mai.*, si sit substantia mere immaterialis, *transeat mai.*, si sit ita immaterialis, ut simul sit corporis forma, *neg. mai. Dist. etiam min.*, et hoc evenit ratione ipsius animae, *neg. min.*, ratione corporis, cum quo ipsa coniungitur, *conc. min. Neg. cons. Diximus transeat*, nam si propositio hoc sensu accipiatur, quatenus substantia immaterialis, etsi finita, quodcumque agere valeat, prorsus falsa est <sup>5</sup>. Ad animam humanam

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, loc. cit. — <sup>2</sup> *Ibid.* — <sup>3</sup> *Ibid.*

<sup>4</sup> Cf *Dynam.*, loc. cit.; et etiam p. 220, not. 1.

<sup>5</sup> Ad rem s. Thomas: « Cum virtus sit media inter essentiam, et operationem, oportet quod virtus, et operatio cuiuslibet rei proportionetur essentiae eius... et secundum hoc actio Angeli limitatur ad aliquem effectum, quia nec virtutem, nec essentiam habet infinitam »; *Quodlib.* VI, a. 2 c.

quod attinet, vis, qua ipsa movet corpus, non solum finita est, sed etiam dispositionibus organismi temperata. Hinc « anima, quantum est de se, nata est moveri in quamlibet partem, sed impeditur ab hoc propter corporis gravitatem <sup>1</sup> ». Etenim cum facultas, qua anima movet corpus, sit organica <sup>2</sup>, anima motum, e. g., impertit brachio mediis nervis motoribus: « Anima per corpus movet alia membra <sup>3</sup> ». Cum igitur media, quibus anima brachium movet, sint corporea, optime possunt haec in sua vi motrice a contraria aliorum corporum resistantia superari.

148. Obiic. 5<sup>o</sup> Anima easdem vices subit, ac corpus; e. g., viget in iuvenibus, debilitatur in senibus. Ergo anima ab ipso corpore non distinguitur.

149. Resp. *Dist. ant.*, eodem modo, *neg. ant.*, diverso modo, *conc. ant. Neg. cons.* Sane, vices illas corpus subit secundum quantitatem motus; anima autem secundum quantitatem virtutis <sup>4</sup>, prout nempe intelligendi vires magis, vel minus perficiuntur. Neque haec diversa perfectio, qua operationes intelligendi in iuvenibus vigent, et languidiores in senibus sunt, de illis, quatenus ab anima rationali proficiuntur, accipienda est; siquidem, aiente s. Bonaventura, « animae rationalis operatio nec senescit, nec antiquatur in tempore, imo iuvenescit, quia in antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia <sup>5</sup> »; sed de illis operationibus, quatenus adiumento sensuum, qui per organa corporis exercentur, indigent. « Illi, inquit Aquinas, in quibus virtus imaginativa, et cogitativa, et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum <sup>6</sup> ». Quare in iuventute saepe auctior est intelligentiae vis, quam in senectute, siquidem instrumenta corporis in illo statu validiora sunt, ac proinde perfectiores sunt facultates illae sensitivae <sup>7</sup>. Hinc s. Augustinus: « Nullum crescentis animae argumentum est, vi-

<sup>1</sup> I, q. LXII, a. 2 ad 2. — <sup>2</sup> Cf *Dynam.*, loc. cit.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 3 c. — <sup>4</sup> Cf s. Aug., *De quant. anim.*, c. 16.

<sup>5</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XIX in arguendo. — <sup>6</sup> I, q. LXXXV, a. 7 c.

<sup>7</sup> Diximus saepe, non semper, interdum enim operationes mentis in iuvenibus languidiores sunt, et e contrario intelligentia in quibusdam hominibus usque ad ultimam senectam in dies magis, magisque viget. Cuius ratio, aiente Aquinate, ex parte ipsius intellectus, qui est perfectior, repetenda est, quatenus nempe hi « cum habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam maioris virtutis in intelligendo »; loc. cit.